



Antiquae Lectionis Tomus ...

Bipartitus, In Qvo L. Vetera Monumenta, Nunquam Visa, Pauculis Exceptis -
Quorum Catalogum versa pagina indicat

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1604

11. Anonymus de Adelhaide Imperatrice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64177)

De

ADALHAIDE

CONIVGE

Ottonis I. Imperatoris,

MATRE

Ottonis II. Imperatoris,

AVIA

Ottonis III. Imperatoris

LIBRI DVO

Cultore

FAMILIARI EIVS,


VT VIDETVR,

ODILONE CLVNIACENSI.

*Nunc primum editi ex membranis m. s. Mo-
nasterij S. Magni ad pedem pontis
Ratisponensis.*

Ddd •

Ad



Ad Lectorem.



*V*is auctor fueris, nescio. Nam nomen suum non expressit, nisi quis velit nomen latere in illis literis initio appositis: *GVOT. L. EDLHIL.* Vbi nota post tres primas literas, *GV O*, dubiam esse literam; videtur tamen, *T*. Tu si quid ex his literis potes, erue; sunt autem haec literae inscriptae imagini depictae in fronte libri, ubi Adalheida, ut puto, sedens in throno, sinistra pomum Imperatorum gestans, cuiusdam feminae, ut videtur stantis, capiti imponit nescio quod tegumen seu calyptam.

Auctor in prologo testatur se equaeum. Et in cap. 3. lib. 1. ait se ab Adalheide ditatum muneribus, & honoribus affectum. Item cap. 14. lib. 1. innuit se familiarem fuisse, dum ait, Nobis astantibus.

Molanus in additione ad Martyrolog. Vsuardi, 16. Decemb. haec: Depositio sanctae Adalheidis Imperatricis. Vbi et hanc addit Annotationem: De Adalheide. Lupoldus Bebenburgensis in libro de veterum Principum Germanorum fide & religione, cap. 13. Si quis Adalheidis in diuino cultu vigilantiam, ac aliarum virtutum eius merita, nec non quod Ecclesias construxerit, vel reparauerit, scire voluerit, de his ex ipsius vita, quam venerabilis Odilo Abbas Cluniacensis plene descripsit, qua in quibusdam Germaniae ac Burgundiae Ecclesiis reperitur, plenius poterit informari. Est m. s. Marcentis. Haec apud Molanum.

De Odilone Trithemius describit, Eccles. Odilo Abbas Cluniacensis quartus Ordinis S. Benedicti, vir sanctus & eruditus, quinquaginta & sex annis Monasterio praesidens, verbo & exemplo multo-

multorum animas direxit ad Christum, cuius vitam virtutibus & miraculis plenam Petrus Damiani Episcopus & Cardinalis Hostiensis luculento sermone descripsit. Composuit ad edificationem fratrum suorum sermones elegantes. lib. 1. Moritur sub Henrico Imp. 11. Anno Domini 1048. Indictione 1. etatis sue anno 87. prima die mensis Ianuarij. Hac Trithemius, qui lib. 3. de viris illustr. Ord. S. Benedicti cap. 235. hac habet: Odilo Abbas quintus Cluniacensis, post S. Maiolum rexit idem canobium 56. annis, vir miro religionis fervore spectabilis, & multis virtutibus signisq; praeclarus. Cuius vitam Petrus Damiani descripsit, petente Hugone Cluniacensi Abbate. Moritur tandem plenus dierum & bonorum operum, anno videlicet Dominica Incarnationis 1048. etatis sue 87. prima die mensis Ianuarij. Hac Trithemius, qui in eodem lib. 3. cap. 235. de Odone hac: Odo Monachus & discipulus praefati sancti Bernonis, Abbas Cluniacensis canobij ab eo primus constitutus, tanta sanctitate & religione clarus evituit; ut etiam in vita miraculis coruscavit. Ordinem S. Benedicti paene collapsum, mirifice restauravit, ac de nouo multa construxit canobia. Claruit Anno Domini 920. Eius festum 13. Kal. Decembr. agitur. Hac

Trithem.



Ddd 3 IN-

INCIPIT PRO
LOGVS IN VITAM SAN-
CTÆ ADALHEIDIS IM-

peratricis.

N huius igitur ætatis nostræ temporibus, cuncta dispo-
nens, totius honoris & honestatis largitor Dominus, pri-
mo ORTONE in sceptris feliciter agente Romanæ Rei-
publicæ, in fœmineo sexu præstitit venerabile decus.

Multorum etenim bonorum tunc accidentium,
atque virtutum post DEVM auctrix, diuæ, celebrisque memoriæ, A-
DALHEIDA, extitit imperatrix.

Quam cum memoriæ succedentium scriptis commendare fata-
gimus, timeo ne digne reprehendamus, ideo, quia tantæ nobilitatis
atque virtutis materiem, minus idonei paupere stylo explicare con-
namur.

Quisquis nos reprehenderit, utpote reprehensione dignos, siue
propter incultum sermonem, seu propter rē nouiter inceptam, & pro-
pter naturalis eloquij simplicitatem, sciat procul dubio, sciat, quia non
inuitauit nos ad hoc humanæ laudis appetitus, sed veræ & sincerissimæ
charitatis affectus.

Si abhorrere vis, ut quippe merito debes, lector, nostri ingenio
rusticitatem; attende ipsius, quam commendare cepimus, mentis &
corporis nobilitatem.

Si enim expectare vis virum tanta eloquentia vel sapientia præ-
ditum, qui huius fœminæ possit conuenienter describere vitam; ne-
cesse est aut CICERO Rhetor reuocetur ab inferis, aut HIERONYMVS
presbyter transmittatur ex superis.

Si enim ille sanctus & incōparabilis in diuina & humana facer HIE-
RONYMVS fuisset istius Augustæ temporibus, si PAVLVM & EUSTOCHI-
VM, MARCELLAM quoque; & MELANIVM, FABIOLAM quoque; & BLESIL-
IAM, LÆTAM & DEMETRIADEM, SEPTIES PERCVSSAM cōmendare
curauit libris & epistolis; cōmēdaret utique; istā haud voluminib' paucis.
*Fort. ex se-
pries p. De
muliere
Vercelleni septies ista S. Hieron. Epist. 49. ad Innocensium.*

Si

Si enim deest talis, vt HIERONYMVS, aut aliquis alius, liberalibus disciplinis adeo eruditus, qui possit digne tantæ feminæ mores & vitam describere, adgrediamur nos indocti DEO iuuante pro posse.

EXPLICIT PROLOGVS.

Incipit vita.

HÆC regio ac religioso stemmate orta, cum adhuc iuuenula esset, & sextum decimum ætatis suæ egeret annum, DEO donante adepta Regale matrimonium, iuncta scilicet REGI a LOTHARIO, HUGONIS ditissimi regis ITALICI filio, ex cuius contubernio b filiam habuit, ex qua LOTHARIUS Rex Francorum LUDOWIGVM Regem genuit, qui sine liberis c mortuus, regio more COMPENDIO dinoscitur fuisse sepultus.

a De LOTHARIO & Hugone parente Frodoardus, & Lud.

isprandus lib. 5. c. 13. Baron. tom. 10. an. 945 & c.

b Puto hanc fuisse Emmam; licet Baron. an. 986. puset Emmam filiam Adelaidis ex Ottone r. Anno 987. obiit (inquit Odorannus) Ludouicus Rex iuuenis, qui nihil fecit.

Supra dicto vero LOTHARIO, d ante annum circiter tertium, d Frodoardus ait veneno sublatus an. 950. postquam dominam ADALHEIDAM duxerat, defuncto, remansit ipsa viduata viro, destituta maritali consilio.

Leo Ostiensis lib. 1. c. 64. Post annos, inquit, ferme quatuor in phrenesim subitam incidens, diem clausit extremum. & c.

Affuit ei persecutio mordax, quæ solet purgare electos vel utrum fornax. Non ergo accidit ei tale quid propriis exigentibus meritis, sed, vt credimus, potius ex accidentibus diuinæ providentiæ donis.

Affuit ei, vt vere fatear, nutu diuino, exterius corporalis afflictio, ne intus cremaret eam, vt pote iuuenulam, in centina carnis libido. Voluit enim eam Dominus tot verberibus atteri, ne secundum sententiam Apostoli PAVLI, viuens esset vidua in deliciis mortua. Voluit enim eam paterno affectu tot pati pericula, ne esset indigna illa filiatione diuina, de qua loquitur scriptura; Castigat Dominus omnem filium quem recipit.

1. Tim. 5.

Hebr. 12.

Sæpe etenim inde DEO gratias referebat, & cum familiaribus conferebat, quanta & qualia tunc temporis passa fuerat, & quam misericorditer eam Dominus de manibus inimicorum suorum liberauerat. Iudicabat enim opportunius sibi fuisse, vt ad tempus temporalibus fuisset occupata anxietatibus, quam viuens in deliciis perpetuæ mortis esset subdita legibus.

Post.

II.

Postquam enim mortuus esset *LOTHARIUS* vir eius, honorem *ITALIC* regni adeptus est quidam vir nomine *BERENGARIUS*, qui habebat uxorem nomine *WILLAM*; à quibus innocens capta diuersis angustia cruciatibus, capillis caesariis distractis frequenter pugnis exagitata & calcibus, vna tantum comite famula. Ad vltimum tetrus inclusa carceribus liberata diuinitus postmodum, ordinata Deo, imperialibus est sublimata culminibus.

Adelaidem in vincula coniecit.

Quam vna cum Berengario Otto I. in Baioariam exulatum misit anno 964, Baron. nu. 30. anno 951. num. 16.

In ipsa nocte qua educeretur de carcere, incidit in cuiusdam harundineti paludem, vbi per dies & noctes sine cibo & potu mansit perseuerans, auxilium à Deo sibi subuenire deposcens.

Tali cum esset detenta periculo, venit quidam subito piscator cum limbo, deferens in nauicula piscem, qui vocatur *STURIO*. Quas cum vidisset, interrogauit, quæ essent, aut quid agerent ibi. Dederunt sibi responsum, secundum instantem necessitatem satis congruum. Vides ne quod hic humano consilio destituta, & quod durus est solitudine, periclitamur & fame? Si potes aliquid victus nobis impende, sin autem, solatium nobis præbe. Qui misericordia motus super eas, sicut ipse, à quo mittebatur, fuerat quondam super pauperes in deserto fame periclitantes Christus, dixit eis, Nihil nobis adest ad victus necessaria, nisi tantum piscis & aqua.

Habebat ignem secum, sicut solent illi, qui piscationis exercent negotium. Accensus est ignis, præparatus est piscis, sumpsit cibum Regina, seruiuit piscator & famula.

Dum hæc ita agerentur, superuenit quidam *CLERICVS*, qui eius fuerat captiuitatis & fugæ socius, nuncians adesse exercitum milicum armatorum; qui eam cum gaudio accipientes deduxerunt secum in quoddam inexpugnabile g castrum.

Vide Baron. an. 950. Adelaidem ad Artonem, inquit Leo Ost. l. i. c. 64. propinquum suum sese in Caustinam munitissimam arcem consulit, vbi mansit quousque Otto rex veniens, Berengarium ab Italia fugauit.

III.

Postea enim consultu *ITALICORVM* principum, præueniente Dei gratia, de folio regni ad arcem peruenit imperij.

Hæc

Hæc enim AVGVSTARVM omnium h AVGVSTISSIMA nominari & venerari est digna. Nemo ante illam ita auxit Rempubicam. Certos in GERMANIAM, ac fecundam ITALIAM, has cum suis principibus, ROMANIS subdidit arcibus. OTTONEM regem nobilem ROMÆ præfecit Cæsarem, ex quo genuit filium imperio dignissimum.

De nobilitate carnis satis dicta sufficiant. Nobilitatē verò mentis quo modo vel qualiter exerevit, nemo mortalium dicere sufficit. Sed ut pro modulo compendiose loquar,

Spequē, fide certa, gemina charitate referta,
Iusta satis, fortis, prudens, nimumq; modesta
Exiit, & vixit felix, dum secula rexit,
Auxilio Domini moderantis climata cosmi.

Prokata tamen Salomonis sapientius famina, huic sanctissimæ Fron. 31.
conueniunt scemina. Manus suas, inquit, aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis. omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Fortitudo & decor indumentum eius & ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Considerat semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius & laudauit eam. Multæ filia congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.

Hæc enim, quæ de ea dicimus, non modo auditu, sed & visu, & experimento cognouimus. Multa ab ea salutis verba audiuius. plurima dona suscepimus. Sæpe enim indigentes nummo, fecit esse diuites auro; carentes enim aliquando cottidianis sumptibus, fecit esse claros honoribus.

Hæc enim ad decorem mundi, primi & maximi OTTONIS, toto orbe famosissima coniunx, & ad profectum multorum IMPERATORVM genitrix illa meruit benedictione potiri, quam meruisse legimus TOBIAM in eiusdem patris volumine, perfrui videlicet, ut videret filios filiorum vsq; in tertiam generationem.

IV.

Postquam enim AVGVSTISSIMVS a OTTO vniuersæ carnis ingressus est viam, AVGVSTA cum filio ROMANI IMPERII, feliciter diu gubernauit Monarchiam. Sed postquam diuino nutu, ipsius AVGVSTÆ

Ecc

meri-

h Duxit illam Otto anno 951. Patet hinc figmentū quod de Adalheide refert Damianus quod refertur Baro. an. 973.

NE. Autorem ab Adalheide adfectum honoribus, & diuitum muneribus. Tob. 9.

Obiit an. 973, de quo VViti-chind. lib. 1, in fine.

J. S. J. V. 27

meritis & industria solidatum fuerat Romani principatus imperium, non defuerunt viri iniqui, qui inter eos nisi sunt disseminare discordiam. Quorum deceptus adulatione recessit corde CÆsar à matre.

Si commendarem literis, quanta & qualia passa sit tunc temporis, derogare videremur speciem tanti generis. Non enim debemus perstringere stylo, quod cito sedavit humilis satisfactio.

Pilum diligens, auctores discordiæ ferre non valens, secundum *Rom. 22.* *NB.* APOSTOLI præceptum; dans ad modicum iræ locum, paternum decrevit expetere regnum; ubi à fratre scilicet Rege CHVONRADO & nobilissima MATHILDE ei⁹ coniuge benigne & honorabiliter est suscepta.

Tristabatur de absentia eius GERMANIA, lætabatur in aduentu eius tota BYRGVNDIA, exultabat LVGDVNVM quondam Philosophiæ mater & nutrix, nec nõ & VIENNA nobilis sedes regia.

Postmodum verò Cæsar OTTO, ductus pœnitentia, direxit regi auunculo legationem, & sanctæ recordationis patri MAIOLÒ sub celerissima festinatione: obnixius deprecans, vt gratiam matris, quam propriis exigentibus culpis, perdidit, eorum interuentionibus promereri posset; orans iterum, & obsecrans, vt quanto citius posset, vna cum AVGVSTA matre PAPIAM ei studerent occurrere.

Tantium enim virorum vsa consilio, apud PAPIAM tempore constituto occurrit mater filio. Quo cum mutuo se cernerent, flendo & lachrymando, toto corpore solo prostrati, humiliter se salutare ceperunt.

Affuit in filio humilis pœnitudo; erat in matre liberalis remissio; permanfit in vtriusque de cætero perpetuæ pacis connexio.

b Obiit

anno 983.

c Theo-

phania, si-

ue Anna,

quam Otto I. filio perierat per Luitprandum in legatione ad Nicephorum Imp. quam edidimus, vide Baron. tom. 10. an. 968. et 969.

d Quippe

pia, vide

Baron an.

983. an. 19.

et an. 984.

num. 6.

NON post multum vero temporis vnico borbata est filio, cui successit tertius ex c GRÆCA genitus OTTO. Igitur recidiuis diu afflicta verberibus, non possumus enarrare per singula, quot qualiaque post mortem filij sibi successerunt incommoda.

Licet illa IMPERATRIX GRÆCA, d sibi & aliis fuisset satis vtilis & optima, focru tamen AVGVSTÆ fuit ex parte contraria.

Ad postremum vero cuiusdam GRÆCI aliorumque adulantium consilio fruens, minabatur ei quasi manu designando dicens, Si animum integrum superuixero, non dominabitur ADALHEIDA in toto mundo; quin possit circumdari palmo vno.

Quam

Quam sententiam inconsultè prolatam diuina censure fecit esse veracem. Ante quatuor hebdomadas GRÆCA IMPERATRIX ab luce discessit; AVGVSTA ADALHEIDA superstes felixq; remansit. Perseuerabat autem discrimina mundi lugens & deflens, curam tamen ROMANI IMPERII necessario gerens.

Mortua
anno. 989

OTTO vero tertius ynici sui filius à primatibus regni felicissime & honestissime educatus, nihil erga illam egit, nisi quod illum & illam decuit. Idcirco meritis Auix & industria Primatum ROMANI imperij adeptus est principatum.

Imp. creatur
an. 996.

VI.

A B ipsa enim ætate primæ uiam dicta IMPERATRIX multa ab extraneis, siue à domesticis fuerat perpeffa, vt possit dicere cum Propheta: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. & cætera.*

Psal. 128.

Dicebat enim saepe illud Apostolicum: *Existimo enim quod non sint condigne passionis huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et alio loco; si compatimur, & conregnabimus. Et iterum: si fuerimus socij passionum, erimus & consolationis.*

Rom. 8.

2. Tim. 2.

2. Cor. 1.

Ephes. 4.

Multis bonum pro malo reddidit, & secundum APOSTOLI præceptum peccantibus in se ante solis occasum dimisit. Nihil ex obiectis iniurijs sibi reseruabat, sed totum Domino committebat, sciens esse à Domino dictum per Prophetam: *Mihi vindictam & ego retribuam.*

Deut. 32.

Heb. 10.

Parcite quaeso, quibus pepercit. & dicamus pro tempore quibus in aduersitatibus, quibusue studiis in prosperitatibus seruire contendit.

Quot enim in primis cum CASARE, inde cum filio, & filij filio OTTONVM videlicet & AVGVSTORVM & CÆSARVM, DEO annuente possederat regna, tot ex proprijs sumptibus ad honorem Regis Regum condidit monasteria.

In patris vero RVODOLPHI videlicet & nobilissimi regis & Domini CHVONRADI fratris, regni loco, videlicet PATERNIACO, vbi matrem reginam, vocabulo BERTHAM, DEO in omni humilitate deuotam, sepulture tradidit, in honorem DEI GENTRICIS monasterium condidit, & sanctissimo patri MATOLO, suisq; successoribus, sua munificentia & fratris sui CHVONRADI regis præcepto ordinandum perpetuo commisit.

Postmodum in ITALIA IURTA TYCINES SEM VrbE MONASTERIUM à fundamētis incepit, & ad honore SALVATORIS mundi honorifice

Ecc 2

impe-

imperiali auctoritate & sua largissima donatione perfecit; ac iam dicto
MATHEO ordinandum regulariter tradidit.

In SAXONIA vero post discessum iam dicti Reipublicæ Principis, cooperante vnica & sapientissima & prudentissima filia, sanctorum
 monialium cœnobis plurima contulit dona.

VII.

ANte duodecimum circiter annum obitus sui, in loco qui dicitur
 SALSA, urbem decreuit fieri sub libertate ROMANA, quem atheni-
 sum postea ad perfectum perduxit effectum.

In ipso etiam loco MONASTERIUM à fundamentis miro opere
 recondidit, & ad honorem DOMINI & APOSTOLORUM Principis, tertio
 Imperante OTTONE videlicet nepote suo, in presentiarum secum
 affante quarto decimo Kalendas Decembris augustissimè & deuotissi-
 mè a *WIDERALDO ARGENTINÆ ciuitatis EPISCOPO con-
 secrare iussit.

*De quo
 Bruschium
 in Argent.

Ep. VILDEROLFUS, aliquibus *Vilderoldus* dictus subrogatur EpISCOPO Baldo. præfuit annis
 17. Et si sint, qui duobus tantum præfuisse scribant. Errant autem isti, nam præfuit iste EpISCO-
 PUS verè cum Otto II. anno 980. in Italiam proficisceretur, qui cum isti EpISCOPO comen-
 dauit Allatiam gubernandam. Postea anno 985, consecrauit monasterium Seltzenie ad Rhe-
 num. Deuotus est à muribus, arcano, sed tamen iusto Dei iudicio anno 997. 12. Iulij. Sepelitur in Eberheimmanster, cœnobio plurimum à se adamato, ac liberalissime dotato.

Et vt maiori auctoritate per succedentium temporum curricula, esset ille sacer locus subnixus, cum præfato CASARE est etiam EpISCO-
 PORUM conuentus à sepe dicta & sæpe dicenda ADALHEIDA AV-
 GUSTIA ipsius CASARIS auita conuocatus.

In ipso etiam MONASTERIO claustrum monachis satis aptum præparauit, & secundum regulam sancti BENEDICTI ordinare decreuit.

Abbatem ibi præfecit nomine EZZEMANNVM, boni testimonij virum, humana scientia & diuina sapientia doctum, quem in diuinis literis habere voluit assidue præceptorem.

Ipsam verò locum adeo ditauit & nobilitauit prædijs, ædificijs, auro, & gemmis, vestibus pretiosissimis, alijsq; varijs ornatum suppellectilibus, vt nihil desset illo in loco DEO famulantibus.

Quatuor quos superuixerat annos Creatori suo sua sequenda, pauperes Christi, & seruos sibi acquisiuit amicos, vt cum temporalia deficerent, in æterna tabernacula eam susciperent.

Cum

VIII.

Cum igitur summis Reipublicæ fascibus implicata teneretur, variis miserorum & inopum anxietatibus subsidia præbere non dedignabatur.

Camque mirificis, ut imperiali dignitati congruebat, valeret corpus decorare indumentis, & preciosissimis caput redimire gemis, talibus nolebat se grauari implicamentis; sed aut pauperibus largientia decernebat, aut DOMINICÆ CRUCIS VEXILLA & CHRISTI EVANGELIA exinde adornari præparabat; sedula existens imitatrix sui Redemptoris, qui cum esset omnium altissimus, humanitatis abiectiona non est dedignatus.

Innumeris præterea tam CANONICORVM, quam etiam MONACHORVM & SANCTIMONIALIVM COENOBIIIS circumquaque per diuersas orbis partes constitutis, plurima largiebatur beneficia, quatenus Deo famulantium agmina eius munificentiâ dapilitate recreata, liberius sibi Reipublicæ diuinitus conferenda implorarent suffragia.

In cunctis enim quæ gessit, Iustitiæ formam tenuit; communem liberalitatem seruauit; credens procul dubio eum Iudicem futurum, quæ & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent.

Quapropter Iustitia videbatur excelsa, liberalitate gratissima, beneficentiæ opera locans super CHRISTVM, quæ beatus APOSTOLVS ponit fundamentum, intelligens prudenter fidem esse fundamentum omnium virtutum.

Via est ergo perfecta liberalitate, ut silentio, quantum valeret, opus suum tegere, & necessitatibus singulorum cuperet subuenire; quatenus eam non labia sua, sed Christi pauperum laudarent ora, ut & iam in ea impletum videretur, quod beati IOB voce profertur: *Benedictio perituri in me veniebat.* Diligenti illud consideratione perpenderestudebat iuxta ipsius vatis assertionem, ut ab eius tecto nunquam vacuo sinu pauper exiret; ut talibus intenta commercii acquirere valeret in terra viuentium hæreditatem supernæ fortis.

IX.

Iamque ultimo ætatis suæ anno, cum non lateret eam, ut credo, exituram de seculo, pacis, ut semper, amica, charitatisque causa paternum adiit solum, fidelibus nepotis sui RUDOLPHI Regis inter se litigantibus, quibus potuit, pacis fœdera contulit; quibus non potuit, more solito sibi, Deo totum commisit.

De cætero quam studiose, quam deuotissime loca SANCTORVM

Ecc 3

cura-

curauit visitare, non est nostre facultatis euoluere. In ipso namque tempore MONASTERIVM Paterniacum adit, quod ab ipsa ad honorem DEI GENITRICIS pro remedio animæ suæ matris ibi requiescentis, tam ex suis, quam maternis rebus condidit. Et quod tunc temporis in temporali necessitate fratribus ibi Deo famulantibus defuit, ut femper erat solita, manu largissima subministravit.

X.

Accidit tunc aliquid nouum, quod huic operi iudicauimus inserendum. Fatigata ex itinere non potuit manu propria solite more eleemosynam dare pauperibus; & vocauit vnum de fratribus, qui vice sua nummos daret pauperibus. Ex eius iussu ventum est ad pauperes. Excedit numerus pauperum numerum denariorum. Trimuit minister minus habere, quàm indigentibus posset sufficere. Quid multa? affuit AVGVSTÆ meritis virtus illius, qui Panibus ex quinis faciauit millia plebis.

Multiplicatis denariis recesserunt pauperes cum munere læti.

XI.

Egressa inde locum AVCAVNENSIVM petiit, vbi rupes felicissima tyrum millia retinet corpora.

Quanta cum deuotione, cum reuerentia magni martyris MARTIRII, sociorumque eius exposulauit suffragia! Quot eius ibi fuerunt suspiria, quot luctus, quot lachrymarum flumina! nunquam fuerunt, vt reor, vlla peccamina, quæ tunc non mererentur æterna remedia.

Si enim respiceres Augustæ faciem, excedere crederes humanam effigiem; quam, si aliud aliquid labiis promeret, nihil aliud crederes, quàm propheticum illud euolueret: *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.*

Wsal. 146.

Quæ fuit eius maxima tribulatio pro cunctis à lege Dei declinantibus charitatiua compassio, vt posset dicere cum Propheta: *Defectio renuit me pro peccatoribus.* Et cum PAVLO: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? & cætera:*

Psal. 11.
2. Cor. 11.

Ita deplorabat aliorum peccata, qualiter multi non possunt propria deplorare discrimina. Lætabatur in grauitate & profectibus præteritorum; tristabatur cottidie in defectibus presentium, maximeque futurorum. Cum enim de futuris dico prophetiæ spiritum procul dubio eam habuisse denuncio. Id esset enim in sermone defectus, nisi esset publico documento expertus.

NB,

Cum

XII.

Cum enim esset ab illo sacro loco egressura, & secum staret in angulo ECCLESIAE, orationis gratia, quidam nuncius venit ad eam de ITALIA FRANCONEM WANGIONENSEM EPISCOPVM nunciauit ROMAE fuisse defunctum. Et quia vir boni testimonij erat domina AVGVSTA valde illum diligebat, sicut & omnes bonos diligere solita erat. Et statim, vt eius obitum audiuit, ex familiaribus, qui aderant, vnum vocauit, & vt pro eo domino preces effunderet humiliter rogauit: & quasi in excessu mentis ita exorta est dicens: Quid faciam DOMINE, vel quid dicam de illo seniore nostro & nepote meo? Peribunt, vt credo, in ITALIA multi cum eo, peribit post ipsos, vt timco, heu, misera, Augustæ indolis OTTO: remanebo omni humano destituta solatio. Abiit ô domine Rex seculorum, vt videam superstes tam lugebre dispendium.

Tunc videres AVGVSTAM toto corpore solo postratâ; non minus videres eam toto mētis adnūso cælo intentam, & quasi iam Martyris MAVRITII vestigia inuenisse, ac lymphatico ore perlingere. Post paululum vero ab oratione surrexit; munera martyribus, elemosinâ dedit pauperibus.

XIII.

De hinc GENEVENSIVM adiit urbem, desiderans videre victoriosissimi VICTORIS MARTYRIS AVLAM.

Inde LAVSONIAM venit, ibiq; memoriâ Dei GENITRICIS deuotissime adorauit. Quibus in locis à REGE & ab EPISCOPIS, suis videlicet nepotibus honorabiliter succcepta, deuenit in vicum qui vocatur VRBA.

In ipso enim vico aliquandiu demorata, egenis superuenientibus & miseris, quotquot potuit necessaria; cum Rege & Principibus patriæ pacis, & honestatis conferens negotia; inde etiam sacris locis diuersa & varia direxit donaria.

Quæ enim Ecclesia, quæ Monachorum cœnobîa, sibi affinitate vel vicinitate coniuncta, quæ non mererentur habere eius dona vel xenia?

Et vt parua de multis dicam; ipso tempore, quo instabat sibi dies supremus, beatissimum Patrem BENEDICTVM, licet exiguis, tamē propriis visitauit muneribus. Nec non & beatæ recordationis, Patrem MAIOLVM, cœlesti gloria iam coronatum, quem dum in hac vita, subsisteret, præ cunctis mortalibus illo ordine diligebat.

Casinati
monaste-
rio impe-
trauit ab
Otzone
priuilegia
anno 964.
Vide Batô.

Non enim oblita CLYNIACVM adeo sibi familiare cenobium. Ad restaurandum igitur beatissimi Cōfessoris Christi MARTINI monasterium, quod non multo ante fuerat igne combustum, destinavit transmittere non modicum argentum; & ad honorem altaris partem vnici filij sui OTTONIS AVGVSTI CHLAMYDIS.

Vt enim ad memoriam reducāmus eius dulcissima verba, ad cuius officio mittebantur, ait inter cetera: Obsecro charissime, obsecro, vt ita alloquaris sanctissimum Confessorem meo obsequio: Accipe sacerdos Dei parua munuscula, quæ tibi delegavit ADALHEIDA, seruorum Dei ancilla, ex se peccatrix dono Dei imperatrix. Accipe vnici mei OTTONIS AVGVSTI CHLAMYDIS partem, & ora pro eo ad ipsum, quem veste diuisa vestisti in paupere Christum.

XIV.

NB. au3or Adalheidi familiaris. **I**n illo die, in quo de supra dicto loco erat exitura, vna eademque hora nobis peccatoribus astantibus, & exemplum perfectæ humilitatis reliquit, & prophetiæ spiritum non arroganter, sed humiliter se habere ostendit.

Erat quidam ibi in præsentia ipsius monachus, qui sic et esset indignus, ABBAS vocari, ab ea tamen putabatur alicuius momenti. Quem cum inspiceret, & ipse eam esse intuitus, cœpit vterque flere vberius. Dicam eam tunc plus fecisse, quàm si dicam multos sanasse infirmos. Vestem enim satis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, & sanctissimis oculis & serenissime suæ faciei oculoando impressit, eique familiariter & cum silentio dixit: Memento mei filii in contemplatiuis, & scias me non amplius te visuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus excessero, orationibus fratrum animam meam committo. Inde per iter, quo venerat, peruenit ad locum, vbi Deo ordinante decreuerat sibi parari sepulchrum.

XV.

In ipso igitur vltimo sui temporalis cursus itinere, erigebat se in quantum valuit, super se, vt diuine contemplationi spreto secularium turbine, liberè posset insistere. Familiarius rei negotium erat sibi etiam importunum. Transegerat iam strenue LIA & MARTHA satis laudabilem actum, optabat appetere RACHELIS & MARIE desiderabile otium. Itaque lectionibus intenta, assidua orationibus, respuebat terrena, inhians tota mente cœlestibus. Et si aliquis eam de secularibus negotiis interpellaret, non ad hoc responsum dabit, sed Apostolicū illud lugēs in corde voluebat: Misera ego homo, quis me libe-

liberabit de corpore mortis huius? & secunda de spe diuinæ retributio-
nis aiebat: Gratia DEI per IESVM Christū. Deinde cœlesti edocta ma-
gisterio deuenit ad locum vbi vltimum spiritum erat redditura Deo.

XVI.

Instabat enim dies in qua deuotio annua agebatur pro filij sui OT-
TONIS AVGVSTI memoria. Confluxerant ad eam ex adiacentibus
locis, vt semper faciebant, pauperum plebes.

Erat ei consuetudo talis, vt in amicorum & familiarium suo-
rum anniuersariis spirituale donatiuum suis spiritualibus erogaret mi-
litiibus, eleemosynam dico Christi pauperibus. Erat autem indigentiu-
um multitudo ordinatim constituta in loco, ad quos ipsa venit, &
exemplo ABRAHÆ Patriarchæ Deum inter illos esse non dubitans,
humiliter adorauit; & oblita infirmitatis suæ, super vires suas tenta-
uit aggredi; singulis manu propria tribuit, & quos miserabiliores vi-
dit, vestimenta vel alia munuscula dedit.

Finito isto spiritali negotio, à quodam venerabili ARCHIEPI-
SCOPO MISSAS petit celebrari pro filio.

In ipsa enim nocte à febre corripitur, & per aliquod dies ingra-
uescente mole infirmitatis ad extremum vsq; deducitur. Ad huc au-
tem pro posse erat intenta in oratione, & oculis desiderantibus Chri-
stum, nihil aliud dignabatur aspicere.

Resumptis aliquantulum viribus corporis, muniti se rogauit
attentius mysteriis Ecclesiasticis. Tum SACRI OLEI vncione perun-
ctâ, SACRAMENTVM DOMINICI CORPORIS humiliter & deuotissi-
me adorando percepit, in quem semper sperauit & credidit.

Talibus fulta præsiidijs, talique pasta conuiuio, dixit senioribus
qui astabant, & Clero, vt Psalmos pœnitentiales cantarent & nomina
sanctorum more Ecclesiastico recitarent.

Litanie.

Quo facto cum psallentibus psallebat, cum orantibus orabat,
vsque ad illum locum, vbi Deum sibi adesse precabatur propitium.
Erat enim sciens cum sorore MOYSI tenere tympanum & chorum,
cum DAVID chordas & organum. Sed assumptis cymbalis bene so-
nantibus sequentibus agnum tota iam versabatur in iubilo.

*Propitius
esto. Parce
nobis Do-
mine.*

XVII.

Anno igitur instante ab Incarnatione domini millesimo deside-
rans videre diem vnum nescientem occasum in atrijs domini super
millia dicebat sæpe cum Apostolo: Cupio dissolui & esse cum
Christo.

Philipp.

Præstolans etiam in præsentiarum cū spiritali læticia eiusdem domini nostri IESU CHRISTI NATIVITATIS festum, cum sextum decimum diem solueret December felix, & ipsa feliciter deposito carnaliter evolavit ad purum purissimi ætheris fulgorem.

Erat enim ei cum domesticis grauis iocunditas, cum extraneis honestissima grauitas, in pauperibus vero infatigabilis pietas, in honorandis Ecclesiis Dei affluentissima largitas, erga bonos perseverans benignitas, contra impios liberalis seueritas, in appetendis timor, in prosperitatibus vera humilitas, in aduersitatibus patiens longanimitas, in victu cotidiano sobrietas, in vestitu etiam mediocritas, in lectionibus & orationibus, & in vigiliis & ieiuniis assiduitas, in dandis elemosynis vna eademque voluntas.

Nulla eam de nobilitate carnis præpediebat elatio, nulla de potestate sibi à Deo concessa ad se trahere poterat humane laudis cupido, nulla de virtutibus sibi à Deo concessis præsumptio, nulla de excessibus propriis maleuada ei dominabatur desperatio, nulla de honoribus, deliciis, & diuitiis mundi in eam principatur ambitio; sed comitabatur eam in omnibus omnium virtutum mater discretio. Eratque et in fide secura firmitas, in spe firma securitas.

Sed, vt vere fatear, quæ & quanta & qualis fuerit eius vita, clariscentibus ad sepulchrum eius miraculorum prodigiis, virtus patefecit diuina.

Prologus in librum secundum.

Quia superiori stylo euidenter patet, quanta sedulitate beatam MARTHAM hæc Dei ancilla imitaretur, oportet etiam aliqua supernæ speculationis indicia proferre, quibus sororem eius MARIAM perfectius affectum possimus conuicere.

Insuper facili intelligentia capere valemus, qualiter ipsa corpus suum iuxta Apostoli præceptum castum & pudicum seruando templum Dei promeruerit pleniter effici. Nam cū per omne vitæ tempus regalibus diuitiis & dignis suo generi facultatibus abundaret, carnem à primæuo viduitatis tempore cilicio edomans, atque mundanæ gloriæ culmen mentis despectu conculcans, Christo soli videlicet & iusticiæ per cœlestis contemplationis desiderium in tantum ascare cognoscitur, vt cum suauis voce psalmista concordaret, qui bonum suum non regni deliciis frui, sed Deo inhaerere conclusit.

Explicit Prologus.

Incipit

Incipit liber de miraculis.

Quadam vero die cum ad refectorem corporis cum honorabili frequentia tam Clericorum quam Laicorum conderet, amq; purissima epulae necessitati omnium satisset, ut mos est saecularum mentium, pro declinando favore alia foris offendere, & alia intus agere, ipsa simulata intentione edentis, cultrum manu diutius tenuit; sicq; non ad suam voluptatem, sed ad aliorum voluntatem conuiuium protraxit. Tunc subito faciei colore, cum mentis habitu permutato, ferrum de manu super mensam decidit; atque in hoc non insolentiae nota accidisse, sed mira quaedam per diuinam reuelationem sensisse cum suspirio innotuit. Omni vero turba, quid hoc penderet admirante, nec querere praesumentem, illa ad Evangelicae perfectionis decorem celauit multitudini secretae dignitatem, solumq; AVGVSTENSEM EPISCOPVM nomine a DVONEM sibi pro vitae meritis familiarem iugque obsequio inhaerentem, tali dignata est praefatione. Nunc pater venerabilis multa opus est vobis consolatione, quia paries vestrae occidentalis matris. Ecclesiae lapsus est diuina dispositione. Tanta vero iactura non magis vestrae prudentiae sollicitudinem ad restorationem sui ingerit, quam pro vestra vexatione siue communi damno Ecclesiae vestrae menti maioris nebulam intulit. Sed simul consolari vos in diuinitatis tranquillitate inbeo & persuadeo, quae sine mutabilitatis vicissitudine solus inaccessibile lumen inhabitans omnia quodammodo moueri pro nostro reatu permittit; sed plura ad integritatis statum ineffabili sua clementia reducet.

Praesul vero tam praesagio quam rerum damno perturbatus tempus praefate ruinae diligenter notauit, nunciumque pro experientia ratione rei que veritate AVGVSTAM festinanter direxit, cuius relatione casum contigisse & horam conuenisse iuxta Dei famulae praefationem cognouit.

Alio quoque tempore huic praesagio simile prodigium ab ipsa patuit, quod tanto magis admiratione extitit dignum, quanto & loco & tempore rei euentu fuerat diuersum.

Filius namque illius ROMANAE REIPUBLICAE PRINCEPS electus, dum illam GRACAM in thalami conloctum suscepisset, eius prauo ingenio deteriori consilio deceptus regnum GRACORVM conatus est adipisci. Igitur exercitu ex omni copia collecto fines ITALIAE exisset, atq; ita Regi GRACORVM patrandi belli occasionem dedit, sibi vero suisq; fama ac vitae contulit amissionem.

Fff 2 Interim redidit;

a. for. leg. Ludonē. alii Luitboldum, Luitolfum vero appellat. Bulla Canonizationis S. Valerici edita nobilissimi M. Valerii. Sub huius antistitis inquit Bruschii in 24. Ep. Aug. gubernatione cōciliis Augusti anno incarnationis fuit Dei 994. Summa D. Virg. Basilica. ea antequam Adelheid & c. magnifice iterum restauratae fuerint ac illustriorem reddiderit.

Handwritten notes in the right margin, including the number '117' and other illegible scribbles.

Interim pia mater eius die nocteq; diuinis cultibus insatens fecit ANNA viduæ deuotionem procul dubio impleuit, & iuxta Canonicam regulam omni diligentia exhibuit viduitatis obsequia.

Quadam vero die orationis studio pro vnici filij salute totiusq; regni statu obnixius intenta, dum se viuam hostiã, more solito stans ante CRUCIFIXVM Deo maçtaret; raptã in extasi humanis visibus æstimabatur præmortua. Ad se autem post horam reuersa, quid vidisset memori mente tenebat, fatumque præfatæ pugnæ in spiritali sibi visu præmonstratum, non rem dicendo, sed bonorum eadem condolendo innotuit.

Ex his quidem signis patenter potest colligi, quasi puritate animi fulgeret, inò quanta libertate spiritus Christo seruiret occultus, cui cum Prophetis futura dominus reuelauit, cum Patriarchis fidem roborauit, cum Apostolis Euangelij perfectionem edocuit, cum Martyribus tribulationum tolerantiam tribuit, cum sacerdotibus Ecclesiæ curam indidit, cum virginibus sacris sanctissimæ mentis sinceritatem auxit, familiarem sui præsentiam cum Monachis ostendit, & cum Apostolicis discipulabus, dico viduis, à PETRO & PAULO electis, & religionis officio deputatis in terris deuotione præditatis in æterna gloria sublimauit.

Curationum vero in tantam gratiam per beneuolentiæ meruit opera, ut sicut egenorum inopiam elemosynarum largitate subleuauit, ita etiã infirmorum & debiliũ solpitem potenti munere restauraret.

Sed mirum in modum humanam cognitionem vitandã insolentia causa fugiens, tantique muneris largitori secreto mentis placere gestiens, aut omni modo furtiua celeritate signorum efficaciam rapuit, aut si qua suorum scientiam præterire non potuit, ne vsquã leui sermocinatione dilatarent, illam nimirum sententiam gentium Doctoris vigili sub corde reuoluens: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ.* Et quod ipse dominus dextræ opus à sinistra celeri præcepit, simplici prudentia in omni conuersatione adimpleuit. Tamen vrbs super montem posita haud potuit esse in omnibus occultata. Vnius namque signi flagrantia ad nostram peruenit notitiam, cuius patrandi potentiam plurimarum virtutum docemur existere causam.

Quodam vero tempore cum cælesti meditatione occupata in conclauisederet, omnisq; arbiter, excepto claudo abesset, villicus nomi-

nomine HVOZEMANNVS fide & taciturnitate illi acceptus pulchrorum malorum attulit munus. Quod serenissimo vultu, vt hilaritatis amica erat, accipiens, vnum ex multis excepit, ceteros seruatori huiusmodi rerum presentari præcepit. Sed casu accidente pomum à manu longius prolapsum est; quod statim claudus reportare iussus, obsequium renuebat, quia scabella, quibus ingressum simulabat, domina retinebat. Illo verò reluctante, rationemque debilitatis rationabiliter proinobediencia reddēte; tandem sanctorum domestica ante venerabiles RELIQUIAS in conspectu suo iugiter positas adorare solebat, caput reuerenter inclinauit, suosq; dominos secum velle, vt claudus ambularet, affirmavit.

Mox citius dicto surrexit claudus ab imo,

Parens obsequio, fit sanus corpore toto,

Erius sus tanti retinere silentia signi,

Gaudia prodebat nec gratia tanta latebat.

Igitur eo tempore, quo beata migravit à sæculo HERIMANNVS dux SVÆVIÆ, qui fratris illius CHVONRADI filiam in coniugium acceperat, hæreditario iure res ancillæ DEI ad monasterium pertinentes occupare volebat. Sed ipsa illi & cunctis in circuitu degentibus manifestis indiciis comprobatur, quod nullum hæredem præter Apostolos & eis seruientes monachos relinquebat.

Erat tunc temporis forte apud eundem ducem, quidam recēter visu priuatus, qui olim arte FLEBOTOMANDI edoctus, & ea causa beatę reginę gratia largius est vsus. Quia verò illius beneficentię nimietatem sanctitatisque claritatem experimento didicerat, orandi studio ad sepulchrum eius veniens in adiutorium suum precibus & fletibus eam inuitauerat. Cumque per omnem septimanam sacri corporis locum obsecrationis instantia frequentaret, vna vice fessus, & tristis super pauimentum residens, præ tædio languentis animæ perfusus est somni humore.

Tum illi sancta ADALHEIDIS per somnium admodum reuerendo vultu vitra humanam speciem decora manifesta apparuit. Quare Dominus eius HERIMANNVS priuatas res APOSTOLORVM suæ iniustæ ditioni vsurparet, terribili voce quæsiuit. Illo autem ignorantiam confitēte, vel poti⁹ Tyrannidem DVCIS adnectente, Vide, inquit, vt si nostris meritis sanitate oculorum recipias, nostræ etiam legationis fidus interpres PRINCIPEM adeas, planoque sermone huiusmodi prauitate omnino deponere cum signo edoceas. Sin aliter, me meosq;

Fff 3

domi-

dominos bisenos APOSTOLAS, totius scilicet iudices orbis, propitius persequi sciat, ultionisque inevitabili ictu sese cum suis flagellandum prædicat.

Cum his dictis statim homo euigilans visionis & allocutionis memoria lætificatus; pedes recedētis vsq; ad sepulchrū est prosecutus, ubi toto corpore prostratus tam diu orationi deditus iacuit, quousque chorus monachorū MISSÆ OFFICIA celebravit. Vt vero primum cantor Introitum inchoavit, cæcus lumen recepit, atque gaudia sua cantantibus commiscuit.

Confestim miraculo per sonitum campanarum intimato, ab omni populo concurritur, DEI famula veneratur, lucisq; repertor immo facturæ reformator ab omni sexu & conditione conlaudatur. Post hæc luminis adeptor testimonij legationisq; iniunctæ non immemor. Dominum suum gratulanti cursu reuisit, quid in somno præmonitus foret explicuit, suiq; inluminacionem testabatur diuini examinis esse argumentum; si ipse aut aliquis potentum, siue qualibet persona videretur in Ecclesiastica beneficia gloriosæ in Domino femina præsumeret damnū inferre. Ita dux timore percussus quidquid iniusto incepto contra DEI voluntatem in DEI famulæ rebus despuit, emendare curauit, addiditq; prædicto monasterio prædium ad faciendam saluile situm, videlicet ad oppidum MARSILE.

Dignum vero relatione nobis videtur quomodo HENRICVS Rex, GEORGI Martyris singularis cultor, huius sanctissimæ etiam viduz supplex fieret adorator. Nam cum ad præfatum locū adepto imperio venisset, forte cōrigit ut ibi posito lecto paularet, ubi sanctissima anima carnis ergastulo soluta est. Itaq; imperator tãe infirmitatis mole percussus est, ut lecto surgere non valens suorū diuersa ingenia conquireret, quid de tanti tamq; subiti doloris casu sentirent. Omnes quidem vna voce dicebant, illius sacri loci reuerentiæ talis incōmodi causam. Hæc ipse secū diu volutans, & si quo alio modo venerandam AVEYSTAM offenderet, retractans; & pœnitentiæ ductus ad sepulchrū cellū se portari iussit. Et quia illius merita sine APOSTOLICI decreto Cleriq; consensu celebrari non licuit, prædicto in loco beate MARIE oratorium se constructurum promisit, atq; Abbatem illius cœnobij, sicut ipsa constituit, ab imperatoriâ seruitute absoluit.

Sub idem tempus venit, ad eundem locum quidam eques temerarius, qui dum pauperis cuiusdam bene receptus hospitio esset, parvam eius suppellectilem diaboli instinctu male tractare aggressus est.

Inter

Inter alias quidem iniurias, quas hospiti suo ingessit, aues domesticas occidit, alienaq; substantia fecit sibi parari cibaria. Magister vero domum in preces fletusq; cum vxore profusus rogauit in primis hominem parcere sibi per Abbatem Dominum suum, postremo per sanctæ ADALHEIDIS reuerentiam implorauit deponere tantam proteruiam.

Ille procacitatis incepto perdurans, immo maiora mala accumulans, Ego, inquit, viuis in hac nocte tui tuorumq; dominor; ADALHEIDA vero mortua impotens est tibi præstare tutamina. Nec mora pro tanta calumnia supernè flagellatus, dum male partum cibum festinaret sumere, cepit etiam manus & cætera membra mandere. Statim pro sui impotentia & furoris noxa ligatus per eiusdem noctis spatium mentis & corporis durum pertulit vinculum.

Sed cum prima luce manibus trahentium ad sepulchrum Christi famulæ iniute adductus sanitatem sensuum in fratrum presentia recepit, quia illa piissima offensionem, quam vindicabat potenter, postmodum penituro indulgit liberaliter.

Quædam sanctimonialis fœmina vocabulo ERVOWELA, cum ^{al. Ervow} a prima ætate claudicaret utroq; pede, in proximo anno memorabilis ^{vixit.} transitus AVGVSTÆ sera lætificata est salute. Et quia huius virtutis opinio populares aures attigerat prima, totius plebis conuentus effectus est admodum lætus, anusq; illius manibus CRUCEM & CEREVM imponens per diuersas discurrendo Ecclesias laudes celebrauit Deificas.

Nec hoc taciturnitate prætereundum esse videtur, quod ob illius dilatanda merita cuidam ignoto homini contigisse dinoscitur. Qui dum per syluam iter haberet, quæ rustico vocabulo nuncupatur BIRWALT, forte ab equo iuxta pascente vsq; ad oppidum SALSENSE commitatus est. Quam ob rem apud quendam potentem nomine HERMONEM furti accusatus est, qui eodem tempore cum prædicto imperatore HEINRICO illuc venerat.

Ille de incertis certam sententiam proferens, iussit hominè miseris modis flagellari, spoliari, excœcari. Mox ad uena cœcat, leuans ad cœlum mentem & manus, Si ego, ait, furti doliq; innocens immerito tanta mala perpeffus sum, tu sancta ADALHEIDA redde mihi tuis precibus & meritis visum.

Post hæc cuiusdam viri nomine BENNONIS domo & cura receptus, post paucos dies lenito dolore ad preciosi thesauri thecam accessit, testificansq; sui innocentiam, oculorum sanitatem recepit. Idem tamen medietate oculorum pupillæ diuisa, veræ cœcitatatis postmodum ostendit vestigia.

Integ

Inter cætera vero donaria, quæ sancto PETRO contulit hæc sanctorum domestica, existerat quædam familia pagi NORTHGOWE nuncupati aecola. Quam dum quidam proterua præsumptione sibi suisque posteris mancipare tentaret, nulloque pacto repugnantem edomare sufficeret, vnum istiusmodi generis PENZONEM dictum incautius excecauit apprehensum. Quem post aliquantos dies quidam videre resciscens, denuo captiuans tandem altius omnem eruit visum.

Nec mora cæcus eruento miserandoque vultu turpatus, adhuc crudo vulnere monachos adiit, Dominæ suæ venerabile sepulchrum petiit, ritumque rusticæ simplicitatis exprobrare cœpit illi causam tantæ calamitatis. Ergo non ante à fletu & planctu eam incusando cessauit, quàm integritatem pupillarum cum lucidissimo oculorum officio, quod non inuitatum, sed potius rarum à sanctis scimus, recepit.

Venit etiam de territorio METTENSIS aliqua scemina, cui diuino nutu cœcitas increuit calumnia. Hæc cum per diuersa loca adipiscendæ salutis appetitu discurreret, istius sanctæ quærere subsidia, per somnia admonita est ab ipsa. Dum autem solam oculorum appeteret salutem, gratiam adepta est duplicem. Nam eodem tempore contigit CHVONRADVM ROMANI IMPERII gloriosum principem cum thori regni; conforte GISILA aduenisse. Cumque venerabilis regina mulierem illuminatam in præsentiarum cerneret, DEVM bonorum Auctorem dignis laudibus magnificans, sibi que consanguineæ AVGVSTÆ sanctitati congratulans, personam à beatitudine eius lamine visitatam in suæ liberalitatis suscepit curam.

Fuit etiam in partibus GALLIÆ potens Comitissa muti filij mater tristis effecta. Pro hac ergo causa dum plura circuiret deuotè monasteria, tanta virtutum opinione audita, sacrum locum desiderabiliter petiit trium dierum spatio inibi orationibus operam dedit. Post hæc à dono curationis prolixitate temporis desperata cum ad propria redire disponderet, semetipsam cum puero ante altare prostravit, quod ad caput viuifici corporis consecratum est. Mater vero lachrimabili prece intenta se solam indignam & expertem fateatur, spe latentem venisse, sed tristem redire narrat. Puer autem interim subita soporis quiete solutus est. Qui transacta hora sponte sua euigilans lætus surrexit, matrem veste apprehendit, si hoc sepulchrum sanctæ ADALHEIDÆ esse prima voce quæsiuit, quæ sibi in somno apparens linguæ vinculum resoluerit.

Eo modo matrona præ desperatione discessura reliquum dici duxit illic in lætitia, & pro sospitate filii deuota & grata fratribus in sanctis suis Deum collaudantibus obtulit munuscula.

Quidam homo de BYRGVNDIA progenitus, ab vtero matris ita extitit claudus & cæuus, vt plantæ pedum ad nates, manus verò ad genua conglutinata viderentur. Qui dum ab hoc infirmitatis incommodo per sancti SVLEPICII meritum liberaretur, idem alia calumnia diuino nutu vexari permissus est, vt dum huius piissimæ atque sanctissimæ faminae precibus curaretur, virtus præclarissimi confessoris æquaretur.

Contigit ergo huiusmodi hominem apud præfati loci Abbatem GERBERTVM piæ memoriæ virum cum reliquorum egenorum turba degere, matutinisq; laudibus in festiuitate B. PETRI APOSTOLI vano auditu interesse.

Namq; malorum & bonorum immemor, etiam temporis & loci venerandi contemptor cœpit cum viris & fœminis miscere verba turpitudinis, sicq; cum stultorum conuenticulis fecit impedimenta diuinae laudis.

Tum subito mira celeritate vtraq; brachia strictim in terga resillierunt, ambæq; manus eius tanta vi in se reflexæ sunt, vt disruptis digitorum nodulis, astantes maderent aspergine sanguinis. Nectamen minori intus percussus est supplicio, vtpote arreptus dæmone pessimo, sicq; duplici pœna deinctus, miserabili spectaculo totius populi nouit fletum & planctus.

Sed dum chorus Monachorum Dei laudes per MISSAM celebraret, omnisq; plebs mœstis modis S. ADALHEIDÆ merita precibus prouocaret, tandem nodis brachiorum solutis adeptus est integritatem mentis & corporis.

Ipse tamen post aliquantos dies mutus effectus, ad sepulchrum eiusdem beatiss. matris, linguæ recepit vsus.

Temporibus vero III. HENRICI Imperatoris vnus signi mirificus claruit euentus, per quem in sanctorum numero spiritalem potentiam illam verissima argumentatione agnouimus.

Quidam vir nomine BURCHARDVS in ministerio LVJTPOLDI MOGONCIENSIS ARCHIEPISCOPI fideliter degens parentela suæ seruili conditione cedit dominio venerabilis AVGVSTÆ. Cuius vberissima benignitate donatum maioribus suis prædium hæreditario iure absque ambiguate possidebat, ideoque summa deuotione do-

Ggg natri-

natricem dominam omnimodis venerari solebat. Accidit autem, ut
 Dux ALAMANNORVM OTTO de SWINWORTH, licet Iustitiæ aliarum vir-
 tutum quamplurima exempla sectaretur, tamen infaciata cupidita-
 tis facibus accensus, prædictum prædium suæ latissimæ possessioni
 fortè contiguum more ACHÆ, vel potius IZABELIS propriæ ditio-
 ni iniuste vendicare est aggressus. Ergo homo talem iacturam agro-
 rum violenter, non legaliter perpeffus, dum humanum prædium
 contra tantæ potentæ culmen desperaret, recolens animo liberalis
 doni priuilegium, ad donantis dominæ fideliter accessit patrociniū
 cartulam quoq; in præfatam possessionem conscriptam, miserabili
 cultu afferens, sacratæ tumbæ imposuit; commodo sonitu campana-
 rum, querelosaq; adclamatione dominam suam sibi dormientem ex-
 citare se rustico more asseruit, fratrumq; congregationem suam ca-
 sum misereri, & solatium piæ patronæ incitauit.

Igitur fraternæ consolationis promissis delibutus, anchora sp̄i
 in tantæ aduersitatis fluctuationibus domum rediit roboratus. Post
 hæc vero prædicto Duci grauissimæ infirmitatis plaga percusso beata
 ADALHEIDA tam seucro, quàm honesto vultu, nocturno silentio ap-
 parens, horribiles minas infernalis incendii potenter indixit, nisi sa-
 mulo suo iniuste ablatum citius restitueret prædium.

Princeps vero tam sen satus, quàm venerabilis personæ inuecti-
 ua comminatione tremefactus, iniuriam patientem, calumniamque
 intolerabilem sustinentem festina legatione adduxit, eiq; amissæ pos-
 sessionis ius, exposita prius miranda visione, & admodum tremenda
 minatione subitæ mortis, & perennis supplicii, prompto animo re-
 donauit. Extemplo homo tanta damna expertus, & talia commoda
 consecutus, Domino Deo, & S. ADALHEIDÆ condignas grates refe-
 rens, ad eius Monasterium gratulabundus festinauit, complura dona-
 tiua Ecclesiasticis ornamentis vel necessitatibus fratrum accommo-
 da contulit, & relata causâ vel modo restitutæ rei, nunquam cessauit
 à laude S. ADALHEIDÆ & omnipotentis Dei.

Explicit vita sanctæ Adalheidæ Imperatricis Augustæ.

Hymnus ad vesperam.

Anni voluto tempore, festiua lux Adalheidæ, nobis beatæ claruit,
 qua seculum iam respuit.

Apostolici dogmatis, instructa didascalis, sic vititur regalibus, vt
 vsa non sit fascibus.

Fudit opes largissimas, donis replens Ecclesias, regni facultas maxima, dispersa pavit agmina.

MARTHAM sequi decreuerat, opus manu compleuerat, amat MARTIAM pectore, secuta Christum cernere.

Summo tonanti gloria aeterna sit per secula, qui nos sacris solenni-
siungat polorum gaudiis, Amen.

Oratio ad MISSAM.

Deus qui nobis beatę ADALHEIDÆ diem concedis venerari solē-
nem, fac nos eius suffragantibus meritis tuis semper obedire manda-
tis. per Dominum.

Secreta.

Deus cuius filius vnigenitus pro peccatis nostris sacrificium im-
maculatum in ara crucis seipsum obtulit, da nobis cottidianis inter-
cessionibus B. ADALHEIDÆ tales existere, vt tibi hostia viua, sancta
& immaculata effici valeamus. Per eundem.

Ad Completorium.

Diuina libantes mysteria, quę pro S. ADALHEIDÆ tuę obtulimus
maiestati, præsta quęsumus omnipotens Deus, vt per ea veniam me-
reamur peccatorum, & cęlestis gratię donis reficiamur. Per Domi-
num.

Alia.

Omnigena benedictione quęsumus Domine, benedic nos, & pro-
tege, vt qui carnem & sanguinem filii tui indigni sumpsimus, preci-
bus & meritis B. ADALHEIDÆ S. Spiritu incessanter repleamur. Per
Dominum nostrum Iesum.

Alia.

Concede quęsumus omnipotens Deus, vt qui pondere aggraua-
mur facinorum, B. ADALHEIDÆ sentiamus suffragium. Per Do-
minum.

F I N I S.

☉): (☉
☿

Ggg 2

Ad-